per salutem conversionemque nauturum. etiam
tantam multitudinem nineue simili posse
confessione salvari. De domino autem et salvatore
nostro possumus dicere. Quod dimiserit domum
et patriam suam et adsumpta carne quodammodo
de caelestibus fugerit veneritque in tharsis.
Hoc est in mare istius saeculi secundum quod
alibi dicitur. Hoc mare magnum et spatiosum.
ibi reptilia quorum non est numerus. Animalia
pusilla cum magnis. ibi naves perambulabant.
Draco iste quem formasti ad inludendum ei.
Idcirco enim et in passione dicebat. Pater si
possibile est transeat a me calix iste. Ne po
pulo conclamante crucifige crucifige
talem. Nos non habemus regem nisi caesarem.
Plenitudo gentium subintraret. et frange
rentur rami olivae. Pro quibus oleastri vir
gulta succrescerent. Tantaeque pietatis fuit
ut amoris in populum pro electione patrum.
et repromissione habrahe. ut in cruce positus
diceret. Pater ignosce eis. quod enim faciunt
nesciunt. Vel certe quomodo tharsis interprae
tatur contemplatio gaudii. Veniens ad iop
pen propheta quae et ipsa speciosam sonat ire
festinat ad gaudium. Et quietis beatitudine
perfruens. Totum se tradere theoriae. Melius
esse arbitrans pulchritudine et varietate
scientiae perfrui. quam per occasionem salutis gen
tium ceterarum. perire populum de quo
christus generandus in carne sit.

Et discendit ioppen et invenit navem euntem
in tharsis et dedit naulum eius sed discendit in
eam ut iret cum eis in tharsis a facie domini. LXX.
Et discendit in ioppen et invenit navem eun
tem in tharsis deditque naulum suum et ascendit in eam
ut navigaret cum eis in tharsis a facie domini.

Ioppen portum esse iudeae. In regnorum paralypo
menon que libris legimus. Ad quem et hiram quoque
rex tyri ligna de libano ratibus transferebat.
quae hierusalem terreno itinere pervehentur.
Hic locus est in quo usque hodie saxa monstran
tur in litore. In quibus andromeda religata
persei quondam sit liberata praesidio. Scit eru
ditus lector historiam. sed et iuxta regionis naturam.
de montanis et arduis ad ioppen et campestria
veniens propheta. Recte dicitur discendisse.
et invenisse navem funem solventem e litore et in
gredientem mare. deditque naulum eius sive mer
cedem navis id est subvectionis eius. Iuxta
hebraicum sive naulum pro se. Ut septuaginta
transtulerunt et vel discendit in ea ut pro
priae continetur in hebraico. hiered enim
discendit dicitur. Ut fugitivus sollicite late
bras quaereret. vel ascendit ut scriptum est in edi
tione vulgata. Ut quocumque navis pergeret perve
niret. Evasisse se putans. si iudaeam relinque
ret. Sed et dominus noster in extremo iudeae litore.
quod quia in iudea erat Appellabatur pulcher
rimum. Non vult tollere panem filiorum et dare
eum canibus. Sed quia venerat ad oves perditas domus
israhel. Dat vectoribus pretium. ut qui primum suum
salvare vult populum salvet accolas maris. et inter

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc254/0214